



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Analysis Methodica Ivris Pontificii**

**Venator, Daniel**

**[S.l.], 1579**

**VD16 V 541**

De Clerico Percussore. Titulus XXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

1012 ANALYS. IVRIS PONTIFICII  
DE CLERICO PERCVSSORE.

Titulus XXV.

Continuatio.

**C**Lericis venationes interdictas, ob id traditum est, ne ipsi contentionibus vel rixis, ex quibus percussiones, vel etiam quandoque mortis pericula proveniunt, subijciantur, implicenturque.

*Quotplex percussio? Et quid vtraque?*

Duplex, spiritualis & corporalis. Spiritualis est sermo inutilis; quo doctor siue percussor fecit conscientiam infirmorum, de qua habetur, c. sanè percussor, 43. dist. & c. si rector, 44. dist. Percussio corporalis dicitur, cum flagris vel verberibus afficitur is, qui percussori non est subiectus, vel subest quidem, sed crudeliter creditur, c. præterea, extr. eod.

*An Pralato liceat verberibus corrigere clericos?*

Episcopus clericos delinquentes causa correctionis leuiter, non crudeliter, nec ex odio, nec per se, sed per alium clericum, non laicum, verberando punire potest, c. cum beatus, distinct. 4. .c. ante omnia, distinct. 35. & c. circumcelliones, 23. q. 5. c. 1. 24. q. 5. quod de illis clericis accipiendum est, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti: nam clerici in sacris constituti & senio confecti, vel etiam alij, quorum existimatio collectis flagris lædi posset, huic correctioni non sunt subijciendi. Non enim asperis, sed blandis verbis, quidam ad fidem & obedientiam sunt prouocandi: nec Episcopum percussorem, iracundum, & perturbati sensus esse oportet: sed in corrigendo patientem, iuxta illud: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina, c. quid autem, c. sequitur, & c. qui sincera, dist. 45.

*Qua poena coercetur clericus Percussor?*

Si quis eum, quem non licet, sæpius, vel eum, quem licet, aliter, quam concessum sit, percusserit, quâuis mors secuta

secuta non fuerit, & monitus se non correxerit, deponitur, c. si quis, ext. eod. Quod si non sapius, vel monitione facta spes sit correctionis, ad tempus saltem suspenditur, c. præterea, ext. eod. & c. neminem, 43. dist. Quod si in conflictu vim illatam propulsare compulsus fuerit, nulla poena imposita ad ordines promouetur, & promotus muneri suo præesse permittitur. Nam & naturali ratione vim vi repellere licet, c. præsentium, & c. continētia, ext. eod. & l. vt vim, ff. de iust. & iur.

## DE MALEDICIS.

Titulus XXVI.

Continuatio.

**G**Rauia flagra Deo inferunt, qui Deum cum sanctis blasphemia afficiunt: vel in fidem Christianā quid iniuriosè dicunt, instar impiæ turbæ Iudæorum, qui Christum verberibus confectum, cruceq; sublatum impijssimè interfecerunt.

*Quid Maledictio?*

Maledictio est, cum malum aliquod de præsentī, vel de præterito dicitur, Bart. in l. item apud labeonē, §. ait prætor, nu. 4. ff. de iniurijs. Et hæc Blasphemia etiam dicitur.

*Quid Blasphemia?*

Blasphemia est, cum de Deo aliquid negamus, quod ei conuenit: aut aliquid Deo tribuimus, quod ei minime conuenit, c. non sunt, 11. q. 3. Didacus in c. quamuis, part. 1. & 7. num. 8. de pact. in 6. Et ideo is, qui derogat diuinæ maiestati, eius potestati aut bonitati detrahens, blasphemus est, & quidem propriè.

*Estne differentia inter Blasphemiam & Maledictionem?*

Quò ad Deum inter hæc nulla constituenda est differentia: cum omnis maledictio, quò ad Deū sit blasphemia,

§§ 3 mia,